



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 97. Calvinistarum querelæ contra hoc edictum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](#)

§. XCVII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1564.*Calvinistarum querelæ contra hoc e-  
dictum.*Ceterum Calvinistæ vehementer con- *Thuan. l. 36.*

tra hoc edictum insurgebant, pa-  
lam querentes, sibi injuriam exinde  
inferri, cum eis per primum editi ar-  
ticulum plena sermones audiendi li-  
bertas adimeretur, atque illi, qui pro  
publicis cœtibus ad loca designata e-  
longinquo adventuri essent, periculo  
exponerentur: „si vero inquiebant illi,  
„Synodos celebrare, aut pecunias col-  
„ligere prohibemur, disciplinæ conser-  
„vandæ impares reddimur, subtracto-  
„que alimento Ministris necessario, brevi  
„ipsum etiam Ministerium evertetur:  
„insuper per violentam matrimonio-  
„rum jamjam contractorum dissolutio-  
„nem libertas per edictum concessa la-  
„befactatur, & dura conscientiis servi-  
„tus imponitur, si ejusmodi homines  
„ad Sacerdotium reverti, ac vota, quæ  
„semel abdicarunt, innovare adstrin-  
„gantur.” Condæus Princeps, qui  
tum in arce Valeria sibi a Marescallo  
Santandreano donata morabatur, com-  
perto novo hoc edicto datis literis Re-  
ginam questum conveniebat, eique pro-  
lixum transmittebat scriptum, in quo  
Protestantium querelas omniño æquas  
demon-

Sæcul. XVI. demonstrare nitebatur, exponens, Cal.  
A.C. 1564. vinistas a Gubernatoribus vexari, ho-  
 micidia impune relinqu, atque inita  
 abhinc pace propter Religionem cen-  
 tum triginta duos homines fuisse truci-  
 datos. Verum Rex, cum Calvinistas  
 se absente seditionem moturos verere-  
 tur, ad Condæi Principis sententiam  
 benigne respondit, hæc eidem signifi-  
 cans: „nihil ardentius percupio, quam  
 „suum cuique jus tribuere, atque ad  
 „edicti mei interpretationem gravissimis  
 „caussis impulsus fui, interim spe cer-  
 „tus vivo, quod tu ipse met, cum re-  
 „gni commodo, atque utilitati inter-  
 „tus videaris, easdem omnino ratas  
 „habiturus sis: præprimis vero mihi  
 „persuasum habeo, tibi nunquam in  
 „mentem venisse, quod meam volunta-  
 „tem ad tuum arbitrium inflectere au-  
 „deas: si vero mei Gubernatores, ce-  
 „terique Ministri suo officio defuerint,  
 „ea severitate plectantur, ut pacis con-  
 „servandæ studium, quo flagro, omni-  
 „bus patefiat: quamvis hucusque con-  
 „cordiæ edictum constanter, ac sincere  
 „fuisset observatum, & nequidem ha-  
 „bita Religionis ratione æqualiter om-  
 „nibus jus diceretur. „

## §. XCVIII.

*Carpii Cardinalis obitus.*

Hoc